


VIII.

Polygalae quatuor novae.



Descripsit

C. F. PH. MARTIUS, Med. D., Academiae Regiae Monacensis Alumnus,
Societ. Bot. Ratisb. Membr. Ordin.

I. *Polygala umbrosa.*

P. floribus cristatis, racemis axillaribus, foliis oblongis acutiusculis basi attenuatis.

Perennis videtur. Rami angulati glabri. Folia alterna et subopposita, fere sessilia, oblonga, apice acuta et basin versus attenuata, sesquiunciam longa, unguem lata, nervo subtus valde prominente, laete viridia, praesertim margine pilosiuscula. Flores virides magnitudine eorum. *P. vulgaris*, aliis nervosis, carina appendiculo penicilliformi ornata. Capsula subrotunda apice emarginata, glabra margine ciliis minutis distantibus obsita. Semina ovata nigra, umbilico calloso albo, villis tenuissimis albidis canescentia.

Inserenda haec species, locorum umbrosorum prope Midnapur in Benghale incola, ante *P. telephioiden*, *W.* cui pro-

proxima, a qua tamen abunde differt foliis, robustioribus acutis, cauleque ut videtur perenni.

II. *Polygala varians.*

P. floribus cristatis, racemis axillaribus foliis inferioribus obcordatis ovatisve, superioribus lanceolatis, caule herbaeo ramoso procumbente pedunculisque hirtis.

P. heterophylla et *P. procumbens* Rottler. *Sirianangei* Tamul.

Radix perpendicularis hinc inde fibras emittens, annua. (?) Caulis suberectus vel basi statim in ramos plures procumbentes, ad summum semipedales, teretes, pilis rigidiusculis albis adpersos, divisus. Folia alterna glabriuscula margine ciliata unguem longitudine aequantia vel paulo longiora; inferiora oblonga, versus basin attenuata apice mucrone subtili praedita plerumque emarginata et inde obcordata rarius integerrima, interdum ovato-subrotunda; superiora angustiora lanceolata. Petioli breves. Flores aut racemosi aut rarius solitarii. Racemi axillares quinque- ad octoflori, foliis breviores, subinde longiores, item ac pedicelli hirti. Corollae virescentes magnitudine eorum *P. nostratis vulgaris*. Carina appendiculo brevi subcapitato aucta. Capsula obcordata glabra margine ciliata.

Valde haec species variat quoad foliorum formam; inferiorum alia enim subinde ovato-subrotunda, apice integerrima; alia obcordata et vasi longius attenuata inveniuntur; superiora nonnunquam ab inferioribus forma prorsus differunt; sunt plerumque lanceolata integerrima. Media est haec species inter *Polygalam telephioiden*, *W.* atque *P. arvensem*

sem ejusdem auctoris, a qua utraque notis satis firmis recedere videtur. In *P. telephioide* folia majora, sibi omnia aequalia, caulis strictus erectus simplex. *P. arvensis* vero foliis minoribus apice integerrimis nec emarginatis et pedunculis glabriusculis differt; perennis quidem a Willdenowio dicitur, sed forte uti nostra annua est. Caeterum *P. ipsa arvensis* vario modo forma mutari videtur, vidi enim specimina, foliis lanceolatis acutis.

P. varians in *Coromandelia* habitat.

III. *Polygala pubescens*.

P. pubescens, floribus cristatis, racemis lateralibus, foliis lanceolatis linearibus obtusiusculis, caule procumbente herbaceo.

P. tomentosa, Rottler.

Caulis herbaceus procumbens, teres, villo denso albicante tomentosus, ramosus, ramis simplicibus. Folia alterna breviter petiolata lineari-lanceolata, uncialia sursum minora, apice obtuso, margine paulo revoluta, pagina superiore glabriuscula inferiore pubescentia. Flores in racemis bini, quaterni, quini, magnitudine eorum *P. vulgaris*, virescentes. Pedunculi laterales oppositifolii atque alternifolii, breves pubescentes. Calycis foliola superius atque bina inferiora breviora, lateraliora seu alae calycinae ovato-oblongae obtusae pubescentes et pulchre ciliatae. Carina dorsi apice appendiculo penicilliformi. Capsula oblonga apice paulo inaequalis atque emarginata pubescens ciliata. Semina oblonge albo-hirsuta.


IV. *Polygala tranquebarica.*

P. floribus cristatis, racemis paucifloris lateralibus, foliis linearibus mucronatis, caule herbaceo ramoso.

P. linearis, Rottler.


Radix perpendicularis fibras emittens, annua. Caulis pumilus erectus, ramis procumbentibus, teres, pilis tenuissimis obsitus. Folia alterna, petiolo brevissimo pubescenti insidentia, angusta linearia, semiuncialia et majora apice mucrone acuto instructa, glabra laete viridia, subtus pallidiora. Flores in pedunculis lateralibus suboppositifoliis et foliis brevioribus, terni quaterni, quini, interdum quoque solitarii. Pedunculi atque pedicelli pubescentes, basi stipula minuta. Laciniae calycinae tres exiguae lato-lanceolatae acutae, alterae binae, seu alae, ovatae acumine terminatae, virescentes. Carina brevis integerrima, apice penicillo brevi instructa. Capsula obcordata glabra, sub lente margine ciliata.

Habitat in littore Coromandel.



AUF-

VERBESSERUNGEN.



Seite	25	Zeile	2	statt	gemello	ist zu lesen:	gemella
"	33	"	4	"	Tacsonia	" " "	Tacsonia.
"	49	"	4	"	pediculatis	" " "	pedicellatis.
"	53	"	25	"	in arena sepelita	" " "	arena tecta.
"	54	"	1	"	plena	" " "	plana.
"	55	"	1	"	corollae	" " "	corolla.
"	ibid.	"	ult.	"	arundines	" " "	arundinibus.
"	148	"	9	"	dem Botaniker	" " "	den Botanikern.
"	149	"	22	"	ihn	" " "	es.
"	ibid.	"	25	"	Smith 1.	" " "	Smith. britt. 1.
"	152	"	20	nach	Icon nostra	ist zu setzen:	t. II. f. a—i.
"	ibid.	"	22	statt	rivales	ist zu lesen:	nivales.
"	154	"	11	"	ad seq.	" " "	ad praec.
"	155	"	11	"	Lapponischen	" " "	Lappländischen.
"	157	"	5	"	caulo	" " "	caule.
"	166	"	17	"	capsulos	" " "	capsulas.
"	163	"	8	"	werden	" " "	wurden.
"	179	Spalt 1	Zeile ult.	statt	pumilis	" " "	pumilio.
"	ibid.	"	2	"	12 " Villars	" " "	Ehrhart.
"	180	"	2	"	15 " cenesia	" " "	cenisia.
"	184	Zeile	25	statt	vasi	" " "	basi.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Hoppea - Denkschriften der Regensburgischen Botanischen Gesellschaft](#)

Jahr/Year: 1815

Band/Volume: [1815_1-1](#)

Autor(en)/Author(s): Martius Carl Friedrich Philipp von

Artikel/Article: [VIII. Polygalae quatuor novae 183-186](#)